Fig. 8. Reiner *Stichococcus* vor der Umwandlung. $\frac{800}{1}$.

Fig. 9 u. 10. Spindel-, ei- oder kugelförmig sich aufbauchender *Stichococcus*. $\frac{800}{1}$.

Fig. 11. Teilungen der Uebergangsformen dieser Rückumwandlung. $\frac{800}{1}$.

Fig. 12. *Pleurococcus* nach dieser Umwandlung und seine Teilungsweise. $\frac{800}{1}$.

---

# Lichenologische Beiträge von Dr. J. Müller.

## XVIII.

(Fortsetzung.)

632. *Arthopyrenia* (s. *Acrocordia*) *consobrina*; *Verrucaria consobrina* Nyl. Expos. Lich. Nov. Caledon. p. 53, Syn. L. Nov. Caled. p. 92. Gonidia chroolepoidea; paraphyses laxius aut crebrius intricatim connexo-ramosae; sporarum loculi aequilongi, saepe acutiusculi. — In Nova Caledonia, in Philippinis et in insula Mauritii.

633. *Arthopyrenia* (s. *Acrocordia*) *subprostans*; *Verrucaria subprostans* Nyl. Expos. Pyrenoc. p. 56 et Nov. Granat. p. 121, iisdem rationibus ac praecedens etiam hujus sectionis est. — In America.

634. *Arthopyreniae* sect. *Polymeridium* Müll. Arg. Omnia ut in sectione *Acrocordia*, sed sporae 3—pluriseptatae, ambitu fusiformi-oblongatae, circ. 3—5-plo longiores quam latae.

* Sporae 4-loculares.

635. *Arthopyrenia* (s. *Polymeridium*) *contendens*; *Verrucaria contendens* Nyl. in Prodr. Nov. Granat. p. 122. Gonidia depauperato-chroolepoidea; perithecia (etiam in Lindigii n. 2877) basi applanata complete nigra, sed 3—5-plo tenuiora v. basi media evanescentia, basi nunc extrorsum anguloso-producta, nunc rotundata; sporae 14—15 $\mu$ longae, 4—6 $\mu$ latae; paraphyses laxe divaricatim connexo-ramosae. — In Nova Granata: Lindig n. 2877, et in Brasilia meridionali prope Apiahy: Puiggari.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0319-4

636. *Arthopyrenia* (s. *Polymeridium*) *catapasta; Verrucaria catapasta* Nyl. in Prodr. Nov. Gran. p. 115. — Sporae ut in praecedente, sed triente et ultra majores. Gonidia et structura omnino conveniunt cum hac sectione. — In Nova Granata: Lindig n. 136, 2869.

637. *Arthopyrenia* (s. *Polymeridium*) *gravastella* Müll. Arg. L. B. n. 543; *Verrucaria gravastella* Krplh. Lich. Beccar. p. 48. Sporae et paraphyses cum proxime affinibus hujus sectionis bene congruunt, sed gonidia observata in eo paullisper recedunt quod multo minora, globoso-cellularia, in glomerulos subglobosos moriformes coadunata, demum tamen in series depauperatas disposita et pro parte rupto-libera. Sporae halone lato vulgo circumdatae. Perithecia subtus deficientia, lateraliter basi sublacera. Paraphyses pulchre clathratim ramosae. — In Nova Hollandiae orientalis prov. Queensland ad Toowoomba: Hartmann, et in insulis sundaicis.

638. *Arthopyrenia* (s. *Polymeridium*) *obtecta; Sagedia obtecta* Müll. Arg. Lich. Afric. occid. n. 50. Gonidiis et sporis omnino cum praecedentibus eosdem characteres sectionales offert. Paraphyses tenellae et minus quam in iis copiose connexae sunt. — In Africa occid. trop. secus flum. Quillu: Pechuel-Loesche.

639. *Arthopyrenia* (s. *Polymeridium*) *subcinerea; Verrucaria subcinerea* Nyl. Pyrenoc. p. 37. Perithecia subtus deficientia v. valde attenuata; paraphyses parciuscule connexo-ramosae; sporae ambitu obovoideo-digitiformes aut cylindrico-obovoideae, utrinque obtusiusculae et tantum 3-septatae ab iis „*Verrucariae chloroticae* Ach." diversissimae. Nihilominus planta a cl. Nyl. l. c. pro subspecie tantum „*Verrucariae chloroticae*" descripta fuit. — In Texas: Wright (ad speciminulum Wrightian. ex hb. Tuckerm. ab amic. Willey benevole commun.).

** Sporae circ. 7—13-septatae.

640. *Arthopyrenia* (s. *Polymeridium*) *albo-cinerea; Verrucaria albo-cinerea* Krplh. Lich. Glaz. p. 81. Gonidia et paraphyses pulchre cum hac sectione conveniunt et habitus non recedit. — In descript. clarissimi Krplh. nonnulla valde infelicia occurrunt. Apothecia diametro $^{7}/_{20}$ mm. aequant et nullomodo minutissima sunt et sporae quoad loculos transversim lentiformes omnino false descriptae sunt. Errores ex eo partim proveniunt quod sub no. 5025 etiam *Pseudopyrenula dirempta* occurrit, cujus sporae

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0320-5

revera lenticellari-loculosae (sed tantum 4-loculares) sunt. — Prope Rio de Janeiro n. 3835, 5025 pr. p.

641. *Arthopyreniae* sect. *Leptorrhaphis* Müll. Arg. Lich. Genève p. 90; genus *Leptorrhaphis* Körb. Syst. p. 371 (1855). Gonidia hic distinctius glomeruloso-syngonidica, sed glomeruli tamen facile in series moniliformes solvuntur, sc. series glomerulose subinvolutae, cellulae globosae v. modice tantum oblongatae; sporae quam in sectionibus praecedentibus angustiores, linearifusiformes et subaciculares, saepe sigmoideo- v. lunato-curvatae, 1—pluriseptatae; paraphyses (quae vulgo negantur) copiose adsunt sed molliusculae et subnodulosae, laxe connexo-ramosae.

Hic praeter alias pertinet *A. oxyspora* et *A. Tremulae*, *A. lucida*, s. *Leptorrhaphis lucida* Körb., *A. straminea*, s. *Verrucaria straminea* Krplh. Lich. Warming. n. 134.

642. Ab eodem genere *Arthopyrenia* dein nullo modo generice separari potest Massalongianum genus *Tomasellia* (in Flora 1856), attamen praeter confluentiam apotheciorum non absolute cum sect. *Euarthopyrenia* congruit. Sit ergo sectio propria post sect. *Euarthopyreniam* locanda:

*Arthopyreniae* sect. *Tomasellia* Müll. Arg.; genus *Tomasellia* Massal. in Flora 1856 p. 283; Körb. Par. p. 394; *Melanotheca* Nyl. Pyren. p. 69 pr. p. (genus chaoticum ubi pauca at diversissima assueto more a cl. Nyl. coadunata sunt et ubi species prior (pr. p.) tantum ad *Melanothecam* Fée referenda est.) Thallus omnino ut in sect. *Euarthopyrenia*, melanogonidicus, gonidia caeterum diversiformia et colore valde ludentia; apothecia pro maxima parte in pagulas stromatiformes confluentia (et partim singula), nigra, perithecia (completa) inferne et subtus subhyalina aut expallentia; paraphyses (a cl. Nyl. negatae) et sporae ut in *Euarthopyrenia*.

Hic pertinet ex. gr.:

*Arthopyrenia* (s. *Tomaselliae*) *arthonioides* Mass. Ric. p. 169; *Tomasellia arthonioides* Mass. s. *Melanotheca arthonioides* Nyl. Pyr.

643. *Arthopyrenia Ramalinae* Müll. Arg. Apothecia parasitantia, $^1/_{10}$ mm. lata, pro maxima parte immersa, hemisphaerico-pyramidalia, basi truncata completa, undique nigra, copiosissima; paraphyses parum distinctae, paucae; asci cylindrico-obovoidei, vix 3-plo longiores quam lati, 8-spori; sporae hyalinae, 12—15 $\mu$ longae, 4—5 $\mu$ latae, longiusculo tractu aequilatae, utrinque rotundato-obtusae, rectae v. leviter incurvae, medio 1-septatae. — Haec *Pharcidiae* esset generis, affinis *Pharcidiae congestae* Auct.,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0321-1

sed hae species iis *Arthopyreniae* sect. *Acrocordiae* simpliciter adjungendae esse mihi videntur. Quum *Urceolariae scruposae* apothecia in ipsius speciei thallo et clare etiam in alieno thallo Cladoniarum (thallo proprio eximie depauperato) occurrat, parasitismus per se ipsum characterem genericum constituere non potest nec imo pro sectione (sensu subgeneris, ut semper habeo) idoneus est. — Crescit in thallo et in dorso apotheciorum *Ramalinae complanatae* v. *hypodectodes* (*Ramalinae hypodectodes*, subspec. Nyl. Recogn. Ramal. p. 30) prope Apiahy in Brasilia: Puiggari.

644. *Porina* (Ach. emend.) Müll. Arg. Thallus crustaceus, gonidia subchroolepoideo-seriata, viridia; apothecia pyrenocarpica, apice demum poro aperientia, in ipso thallo sita; thalamium in cavitate apotheciorum deficiens, i. e. pseudoparaphyses plus minusve clathratim ramosae nullae, sed paraphyses (s. asci statu primario ante dissepimenta soluta) simplices evolutae; sporae hyalinae, varie transversim divisae, loculi exceptis terminalibus cylindrici, recte truncati.

E Nylanderi chaotico et magna pro parte chaotice elaborato genere *Verrucaria* hodie necessarie permultae species eliminandae et in varia distincta genera disponendae sunt, quod jam per triginta ultimos annos, praeeunte Fée, tentaverunt Massalongo, Körber, Naegeli et Hepp, Th. Fries, Stitzenberger et alii. Sed tanta erat difficultas superanda, tot erant characteres non tantum accurate enucleandi sed etiam recte et logice interpretandi et numerosa accessoria a primariis characteribus caute distinguenda, ut non mirandum, nec nimis vituperandum, quod prima tentamina Massalongo-Körberiana ex majore parte infelicia fuerunt. Hi auctores enim pro parte ex methodo insufficiente investigandi, pro parte ex instrumentis opticis non satis acutis, characteres eximios praeterviderunt et dein alios bonos at inaequales pro parte eximie supertaxaverunt, unde orta est procreatio turbae bonorum et simul pessimorum numerosorum generum Lichenum, quae sub edita forma in scientia conjunctim accipi non possunt. Longe major talium generum pars (similiter simul ac in *Lecanoreis*, *Lecideeis*, *Graphideis* etc.) characteribus sporologicis definita, alia e structura male visa aut male interpretata peritheciorum, alia e paraphysibus male examinatis, neglecto aut praeterviso thallo, condita fuerunt, admisso principio falsissimo quod omnibus fere variationibus sporarum virtus generica esset adscribenda. — Haec genera dein omnia, non

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0322-7

solum mala sed etiam bona, per triginta annos cl. Nylander caeco ardore vehementer oppugnavit pro doloroso detrimento et obstructione scientiae, quamquam isdem ipsissimus Dr. Nylander etiam nonnulla alia edidit genera (exempli gratia *Thelopsin* Nyl. Pyren. p. 65) Massalongo-Körberianis nihilo validiora. — Revera inter characteres sporologicos dictos nonnulli occurrunt eximie pretiosi, quibus reliqui numerosi subordinandi sunt ut jam anno 1862 (in Principes de Classification des Lichens et énumération des Lichens des environs de Genève) exposui et ubi, bona accipiens, mala recusans, viam quasi mediam inter extremas opiniones perlustrare tentavi. Mox dein et pro parte fere eodem tempore etiam cl. Dr. Stitzenberger genera Lichenum europaeorum et extra-europaeorum sat similiter exposuit (praeeunte Th. Friesii Gen. Heterolich. europ. subsimili sensu accedente), etiamsi hodie (Lichenes Helvet. 1882) redux ad chaotica genera Nylanderiana. Quae anno 1862 pro mutatione recentium generum proposui, fere omnia ex iterata iterataque observatione, e completiore et acutiore methodo, ex optimo adhibito microscopio et nunc e vasta cognitione Lichenum exoticorum etiam hodie bona et vere naturalia credo, at alia tamen ex meliore examine rectificanda sunt. Sed ingente labore fere omnes Lichenes hodie noti, aut potius noti crediti, iterum acutiori examini subjiciendi sunt pro clara et certa dispositione eorum in genera et sectiones, et omnium Lichenologorum cura, mutua benevolentia agentium, ad hoc gravissimum propositum postulanda est. Quoad sporas non tantum ambitus, magnitudo et numerus loculorum sed etiam ipsa structura earum statuenda est et paraphyses melius explorandae sunt; gonidia dein, praesertim in thallo endophloeode et in thallo cum saxis conferruminato longe accuratius investigandae sunt et in saxicolis saepe nonnisi post chemicam solutionem partiunculae saxosae clare enucleari possunt.

Pro toto genere *Porina* supra diagnosi limitato prioritatis causa evidenter aut nomen *Porina* aut *Sagedia*, jam apud Acharium occurrentia, adhiberi debuit. *Sagediae* species Acharii tamen omnes ab hoc genere diversae sunt, *Porinae* ejusdem autem una saltem *(P. nucula)* cum eo quadrat, et pars circiter dimidia specierum *Porinae* Fée hic jam spectabat ante novam definitionem Massalongianam hic etiam spectantis *Sagediae*. Quibus omnibus perpensis, addito insuper momento accessorio, quod, *Porina* admissa, nomina specifica longe minus numerosa

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0323-2

sint mutanda quam adoptione nominis *Sagediae*, consensu ut spero plurimorum Lichenologorum *Porinam* nec *Sagediam* anteposui.

Genus ab analogo genere *Arthopyrenia* differt defectu thalamii veri (vid. etiam Dr. Minksii Symb. II) s. praesentia tantum illarum paraphysium quae statum juniorem primarium ascorum s. thecarum (dissepimentis nondum solutis) repraesentant et quae semper simplices, nunquam clathratim aut trabeculatim ramosae sunt et ubi insuper hinc inde status intermedii, sc. paraphyses subinde quasi monstrose incrassatae centro latius cavae observantur. — Saepe in sectionibus perpendicularibus apotheciorum vidimus massam hyalinam ascis et paraphysibus formatam sat compactam et longitrorsum parallelo-striatam, quae sub microscopio minus bono facile pro paraphysibus compacto-aggregatis et glutinoso-subcohaerentibus interpretari posset, sed re vera haec massa paraphysibus subpaucis tum parum perspicuis et numerosis ascis vacuis superne transversim ruptis basi hypothecio adnatis composita est, et lineae s. striae pallidiores parallelae nil sunt nisi sectiones optice longitrorsae ascorum, crassitiem membranae ascorum indicantes. — Reliqua utriusque generis caeterum satis conveniunt, sed gonidia *Porinae* vulgo magis distincte elongata et distinctius chroolepoideo-seriata, apothecia *Porinae* colore varia, in *Arthopyrenia* semper nigra, et species epiphyllae, thallo phyllactidiali insignitae in *Porina* numerosae, in *Arthopyrenia* nullae.

645. *Porinae* sect. *Segestrella*; genus *Segestrella* Fries Lich. europ. p. 460, Körb. Syst. p. 331 et Par. p. 324 (excl. *Seg. illinita*, quae sect. *Sagediae*). Apothecia colorata, nuda v. subnuda cum thallo discolora. Gonidia discreto-ramulosa.

646. *Porina* (s. *Segestrella*) *nigrofusca* Müll. Arg. Thallus pallide aeneo-fuscus v. olivaceo-aeneus, tartareus, $^1/_2$—$^3/_5$ mm. crassus, margine attenuatus et zona nigricante limitatus, laevis et continuus, demum minute rimulosus, intus distincte flavicans; gonidia chroolepoidea; apothecia $^4/_{10}$ mm. lata, globosa, circiter quarta parte emergentia, parte emersa nuda, nitidula, nigro-fusca aut nigricantia, vertice vix foveolata, parte immersa undique pallida; nucleus albidus; paraphyses capillares, firmae; asci sublineares, 8-spori; sporae hyalinae, fusiformes, 19—31 $\mu$ longae, 5 $\mu$ latae, aequaliter 4-loculares. — Species valde distincta. Apothecia prima fronte subnigra, madefacta distincte fuscescentia. — Ad saxa porphyrica prope Apiahy in Brasilia; Puiggari.

(Fortsetzung folgt.)

Redacteur: Dr. **Singer**. Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei (**F. Huber**) in Regensburg.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0324-8

# ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1883

Band/Volume: 66

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: Lichenologische Beiträge 317-322